



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE AD APTIUS FOVENDAS IN REGNO CAMBODIAE

NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ad aptius fovendas et confirmandas publicas necessitudinis rationes, quae inter hanc Apostolicam Sedem et Regnum Cambodgiae hoc ipso die feliciter sunt initae, simulque ad efficacius consulendum catholicae Ecclesiae operi et incremento necnon spirituali bono Christifidelium illic degentium, Nobis peropportuno videtur in memorato Regno Apostolicam Nuntiaturam condere. De communi igitur utriusque partis voto, audita quoque Congregatione pro Gentium Evangelizatione, summa Nostra potestate harumque Litterarum virtute in Regno Cambodgiae Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum, praesertim earum sub iurisdictione Congregationis, quam diximus, propria sunt. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuscumque rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, in Sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana